



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliarvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno CCCCII. ad annum CCCCXXX.

Parisiis, 1644

Epistola X. Caelestini Papae I. Ad Cyrillvm. Commendatur studium
Theodosii erga religionem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14918

liberator, zelum Domini contra eos, si quos a Dei cultu recessisse probarat, armauit. Dauid regem sua præcepta seruantem, in regno, vt ille inimicos suos subderet, Dominus custodiuit. His, rogo, exemplorum vallati præfidio, fide, obseruatione, virtute, vniuersalis ecclesiæ in Deum nostrum piissimum cultum, ne sibi aliquid dissensio vendicet, custodite. Pro vestri enim imperii salute geritur, quidquid pro quiete ecclesiæ vel sanctæ religionis reuerentia laboratur. Hæc, gloriosissime & tranquillissime imperator Auguste (quia in vestro corde esse nouimus, Deum illic inesse non dubium) Augustis etiam auribus per fratres & coepiscopos meos Arcadium & Proiectum, & compresbyterum meum Philippum, quos missimus, intimamus: hoc a pietate vestra suppliciter deprecantes, quod vos habere credamus in votis, vt quod a Deo petitis, hoc in fide ipsius causa præstetis. Data Idibus Maii, Basso & Antiocho consulibus.

EPISTOLA X.
CÆLESTINI PAPÆ I.
AD CYRILLVM.

Commendatur studium Theodosii erga
religionem.

Cælestinus episcopus Cyrillo episcopo Alexandrino.

INTELLIGO sententiam sapientissimi Salomonis imple- Prov. 25.
tam: non enim aliter quam sitiens aquam frigidam, de terra longinqua iteratum nuntium per literas tuæ dilectionis accepi, quæ nos inuicem nostri consilii participatione coniungunt. Indifficulter est ecclesiarum & catholicæ fidei speranda tranquillitas, quando pro hac elaborare Christianissimos principes sic videmus. Non est inefficax in diuinis maxime causis cura regalis, quæ pertinet ad Deum, qui fideliter tenet corda regnantium. Itaque breuiter responsum tuæ reddimus sanctitati. Etenim quæris, vtrum sancta Synodus recipere debeat hominem a se prædicata damnantem; an quia induciarum tempus emensum est, sententia dudum lata perduret? Super hac vtique consultatione communi communem Dominum

Concil. Tom. 4.

Q 99

*Ezech. 33.
1. Tim. 2.*

consulamus. Nonne nobis respondet illico per prophetam, *mortem se nolle morientis*, & per apostolum Paulum, *omnem hominem velle saluum fieri, & venire ad scientiam veritatis*? Nunquam displicet Deo accelerata in quocumque correctio. tua sit hoc sanctitatis, cum venerando fratrum * Concilio, vt orti in ecclesia strepitus comprimantur, & finitum, Deo annuente, negotium votiua correctione discamus.

*Studium &
vigilantia
Cælestini.*

1. Cor. 10.

Conuentui autem nos deesse non dicimus: neque enim ab his absentes esse possumus, quibus nos vbicumque positos, fides tamen vna coniungit. Nolo nos corpore isto censerī, cuius præsentiam Apostolus assignat infirmam: illic fumus; quidquid illic pro omnibus agitur cogitamus, spiritualiter agimus, quod corporaliter agere non videmur. Studeo quieti catholicæ, studeo per euntis salutē, si tamen voluerit ægritudinem confiteri. Quod ideo dicimus, ne volenti se corrigere, forsitan deesse videamur. Nam etsi & nobis sustinentibus vnam, spinas sibi addiderit: impleatur, manentibus statutis prioribus, sui fructu iudicii: colligat quod sulco diabolico seminavit, non nostro consilio, sed se periturus auctore. Probet nos veloces pedes ad effundendum sanguinem non habere, quando sibi etiam se medicum cognoscat oblatum. His autem, quos erga catholicam fidem tua fraternitas dicit se habere suspectos, si scripta direxerint, pro qualitate rerum eis nos respondere necesse est: in quo negotio nemo subrepet, quia tota cautione tractatur. Data Nonis Maii, Basso & Antiocho viris clarissimis consulibus.

EPISTOLA XI.

CÆLESTINI PAPÆ I.

AD EPHESINÆ SYNODI PATRES,
ESTQUE ENCYCLICA.

*Cælestinus episcopus sanctæ Synodo apud Ephesum
constitutæ.*

Exod. 15.

TANDEM malorum fine gaudendum est. Tandem nobis omnibus in commune dicendū: *Dextera tua, Domine,*